

**E**rr animus quoniam NEUMANNO laudis agalma  
Ponere, Gorlicii nostri qui natus in usum,  
Consulis ac hodiè cum laude vicaria ponit  
Arma, Reipublicæ queis nostræ profuit Urbis,  
Viribus haud propriis nixus, sed Numinis aurâ,  
Adiutusq; sacri curâ vigilante SENATUS:  
Idcirco formosa, precor, concede laborem  
Calliopeja mihi: sic sis pulcherrima semper  
Pieridum; sic fata tibi bis molliat Orpheus.

Non ego NEUMANNUM queo grandi ferre cothurno,  
E Clario quoniam non hausi fonte liquores.  
Hi, quibus Aoniam plenis siphonibus undam  
Musa propinavit, scribant mage carmina culta.  
Sed tamen & vilis libamina laudat acerræ  
Juppiter, & parvos admittunt æquora rivos.

E numero laudum quid primùm ingente Patroni  
Sit delibandum dubito, versorq; per omnes  
Arbitrii partes anceps: ceu nocte serenâ,  
Cum rutilo fulgent palantia sidera cælo,  
Cernimus astrorum, sed non discernimus, ignes,  
Et non distinctos miramur in orbibus orbis.

Ursit NEUMANNUS semper conamine magno  
Res sibi mandatas, omnes & mentis in illas  
Intendit nervos, adiutus Numine dextro,  
Dum movit vegetus spirantia pectora sanguis,  
Hic cum jam primas didicisset gnaviter artes,  
Nec non formatum sumpsisset robora pectus,  
Reliquit Patriam, quâ radie mœnia Nilus,  
Et faustis avibus claram pervenit in urbem,  
Hic ubi flexivago trepidat pede vitreus Albis.  
Hic rerum studio, laudisq; cupidine ductus  
Pierii fontis limen vigilanter adivit,  
Astræq; suâ penetravit mente recessus.

Pòst aliud molitur iter, quod duxit ad urbem  
Illam, quâ Salæ rauco fluit unda susurro.  
Hanc ubi concessit, Musis stipantibus ipsis,  
Solers evolvit nodosa volumina Juris.

Arte saburratus cum nobiliore Themistos  
Esset, & hausisset latice benè Thespios undæ,  
Oscine felici Philytes concedit Athenas,  
Torquet ubi lymphas cum Plissa clarus Elyster.  
Hic illum blando Themis aurea lumine vidit;  
Hic bibit Astrææ fontes; hic scita sacrarum  
Perdidicit legum; sine queis non orbis & urbis  
Stare salus potis est, non res, non quisq; proprium.

Arte gravis Themidos tandem contendit in urbem,  
Odera quam rapidus tumido præterfluit amne.  
Noctes atq; dies hic pectus nectare legum  
Sacrarum, nec non doctrinâ divite tinxit,  
Et didicit, quid sacra velint oracula Regum,  
Quid Baldus, quid Saxo prober, quid Bartolus; aut quid  
Justitiæ Cæsar sacro de nomine dictus.

Cum per sex annos in dictis hisce Lyceis  
Volvisset gemini sinuosa Volumina Juris,  
Tandem Teutoniæ loca nobiliora salutat.  
Lustraturus abit Rosei iuga culta Lycei,  
Ac Grypswaldenses, quas Phœbus clarat, Athenas.  
Oscine felici pergit NEUMANNUS, & urbes

Witteberga  
1628.

Jena.

Lipfia.

Francofur-  
tum.

Rostochium.  
Grypsval-  
dia.

Suppe.